

www.e-rara.ch

Specimen inaugurale observationum medicarum circa curam tetani

Wirz, Johann Joseph

Basileae, [1799?]

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-144565>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

SPECIMEN INAVGVRALE
OBSERVATIONVM MEDICARVM
CIRCA CVRAM

TETANI

QVOD
FAVENTE SVPREMO NVMINE
ATQVE
JVSSV ET AVCTORITATE
GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ
IN PERANTIQVA AC CELEBERRIMA VNIVERSITATE
BASILIENSI
PRO

DOCTORIS MEDICINÆ GRADV
STATIM POST ACTVM DISPVTATONIS
RITE CONSEQVENDO
SOLEMNI PHILIATRORVM EXAMINI
PVBLICE DIJVDICANDVM OFFERT
JOANNES JOSEPHVS WIRZ
WILLISOVIENSIS-LVCERNENSIS.

DIE 10 SEPTEMBRIS 1799.

H. L. Q. S.

Kirchenbibliothek
Basel

BASILEÆ

Typis JOH. SCHWEIGHAUSER.



VIRIS

GENERE, PIETATE, DOCTRINA
ET MERITORVM LAVDE CONSPICVIS
PLVRIMVM REVERENDO DOMINO
DOMINO LVDOVICO GÖELDLIN,
Ecclesiae Parochialis S. Leodegarii Lucernae Canonico
Cognato suo dilectissimo,

PLVRIMVM REVERENDO DOMINO
DOMINO CHRISTOPHORO NÖELLI,
Parocho in loco Uffiken dignissimo, Matruei suo
omni honoris, amoris cultu ad Cineres usque persequendo,
FAVTOIBVS RELIQVIS, PATRONISQVE SVIS OMNIBVS
in perpetuam grati animi tesseram hoc quaecunque
studiorum suorum specimen.

consecrat, dedicat

A V C T O R.



§. I.

Cum inter innumera, quae corpus humanum aggredi solent, morborum agmina, fatis multa eheu! inveniantur, quorum cognitio causae aequae latet in obscuro, ac theoretica Galeni opera iis oppugnandis plane sit impar; hinc ad Hippocraticam, observationibus fidis fultam, confugiendum esse, facile quisque perspiciet.

§. II.

Etenim hac ratione, ni fallor, evincitur, ut pedetentim a posteriori, i. e. ab observatione practica circa ejusmodi morbos rite instituta tandem ad veram causae morbi cognitionem ejusdemque medelam perducamur, utque demum sic ab anteriori (a) morbum cognoscamus, semotisque quisquiliis atque hypothefi tandem ad thesin perveniamus, obtreptatoribus medicinae incassum obstrepentibus.

§. III.

Qui non solum ex libris, sed ad lectum aegrotantis Tetani scenam tragicam observarunt, facile dabunt, arduam esse hujusce morbi cognitionem, judicium fallax, parum fidas praedictiones, et difficilem curationem; ita, ut illud poëtae quadret: obstupere omnes, steteruntque comae, et vox faucibus haesit.

(a) Gaub. institution. Patholog. pag. 4. edition. Venet. §. 16.

§. IV.

Omissis igitur, quae scholam redolent, ambagibus, statim cum magno BOERHAAVIO (b) dicemus, Tetanum proprie sic dictum esse omnium musculorum totius corporis humani a capite usque ad calcem uno momento rigorem, seu distensionem; nec displicet definitio SAUVAGESII (c), qui eundem morbum acutum totius trunci, et corporis rigiditate insignem dicit, cum respiratione saepius laboriosa, et sensuum integritate, quae quidem ultima symptomata non semper apparent.

§. V.

Causam proximam hujusce morbi efficiunt ea omnia, quae convulsionem in genere excitare valent; hinc licet convulsio sit violenta, invita, et alterne repetens contractio musculi, nihilominus tamen GALENUS (d) Tetanum vocat convulsionem; et recte quidem, quia eadem causa, quae alternis vicibus afficit, etiam sine alterna remissione, musculorum contractionem efficere poterit, si ejusdem actio perduret (e) eadem quoque valent Empirothotonon inter ac Opisthotonon.

§. VI.

Prouti adeo varia in homine datur nervorum sensibilitas, irritabilitasque musculorum, ita pro hujus differentia major, minorque ad hunc morbum nascitur proclivitas; adeo, ut qui vehementioribus animi pathematibus laborant, hypochondriaci, hysterici, arthritici, atque melancolici una cum aliis praecipue hujus morbi seminium intus alere videantur.

§. VII.

Causa occasionalis multiplex, nec facile enumeranda. Hic veniunt superflua evacuatio, necessariae evacuationis suppressio, partus difficilis,

-
- (b) G. VAN SWIETEN Commentaria in H. Boerhavi aphorismos. edit. Neapol. §. 230.
 (c) Boissier de Sauvages Nosolog. methodica, sistens morborum classes, genera et species, edit. Venetae 1772. Tom. I. pag. 283.
 (d) Comment. in sect. IV. aphorism. num. 57. Charter. Tom. IX. pag. 171.
 (e) VAN SWIETEN Comment. §. 230.

ebrietas, inedia, frigus, Encephali vitia, febris magna, venena, draffica, vermes, vulnere, exanthemata regreffa &c.

§. VIII.

Circa prognofin attendamus Hippocratem dicit enim (f) qui Tetano corripuntur, intra 14 dies intereunt; hos vero fi effugerint, fani fiunt: et alibi fic de horrendo hoc malo habet: (g) *hic 3tio, aut 5to, aut 7mo, aut 14to morbi die perit.* Sensus fuppreffi majus periculum oftendunt, quam integri (h). Si mens in furorem agitur, certum exitium denotat (i).

§. IX.

Pro diverfitate caufarum igitur curam inftituendam fore, facile concipit, qui rem medicam folummodo praelibatam habet, fic, fi fupflua evacuatio fpafmum fecit, idoneis remediis protinus oportet eam coercere, et deinde corpus cibus eueptis iterum replere; ficque de reliquis indicationibus. Vid. praecipue autores *Vogel, De Haen, Unzer, Störck, Cullen, Selle, Tiffot &c.* Sed cum non raro caufae etiam remotae non cognofcantur, tunc in genere valent antifpafmodica, ut oleum animale Dipelii genuinum (fi deglutitio non impediatur) aether vitriolatus, Camphora. Juvat etiam fpinam dorsi unguento perfricare aromatico, naribus fpirituofa admove, clysmata oleofa infundere, effentiam ambrae, mofchum, opium, praefertim vero balnea tepida adhibere.

§. X.

En jam hiftoriam morbi a me ipfo obfervati et feliciter curati: Perilluftris Judicis conjux (cujus nomen filentium imponit) 22dum agens annum, temperamentum, uti dicitur, mere phlegmatici, tresque jam partus paffa, tempore catameniorum pluviofo fub coelo in hortulum exiens derepente diriffimo corripitur Tetano: in rectum diftenditur truncus, palleftunt genae,

(f) Aphorism. 6. feft. v. Charter. Tom. IX. pag. 195.

(g) De morb. libr. III. cap. 12. Charter. Tom. VII. pag. 587.

(h) R. A. VOGEL academicae praelection. de cognofcend. et curandis praecipuis corp. humani affectibus. Gottingae 1772.

(i) Ibidem.

vox filēt, distorquentur oculi, auditus perit, tactus deficit, digitique manuum ac pedum adeo extenduntur, ut fortissimus vir ne minimum potuisset incurvare digitum, quin frangeretur: En miserrimam mortis adinstar rigescentem machinam, nonnisi pulsu debili, celeri, minimo (k) ab eadem distinguendam! Secreta in auxilium rapiuntur omnia, famaue nunc rapidis volat per viciniam pennis; accurrunt accolae ad inspiciendum hoc triste spectaculum, sed incassum. Equidem ad se redit misera alta sub inspiratione exclamans — O MEIN GOTT — mox tamen iterum obdormire videtur, pristinumque in statum relabitur; nunc iterum loquitur; nunc denuo quasi moritur, relabiturque, sicque in continuum per 4 dies perrexit. Sub vespere 4tae diei mihi tunc temporis in Thermis Leucensibus munia medici ordinarii obeunti, nuntius venit, ut concitato equo ad aegrotam me conferrem morti proximam. Accedens comperi, illam praeter innumeros, quos jamjam passa fuerat. paroxysmos, 3tia et 4ta die duos habuisse insultus, quorum quilibet per duas perdurasset horas. Praemissis remediis generalibus § praecedentis; fomentationes, pediluvia, deinde pulverem ephracticum seq praescripsi:

℞ Magnes. Salis Sedlicens.

Cremor. Tart.

Flor. Sulphur.

Pulv. Rhei

Elaeofacchar. Foenicul.

aa Drachm. tres. m. fiat. pulv.

Sumatur omni trihorio cochlearculum in infuso theiformi flor. Chamaemeli (l).

Sed irritus spei machinam ligneam statim conficiendam curavi, in qua aegrotans calidae usque ad collum immersa aquae, pulvinarique capiti subiecto, commodè demittebatur toties, quoties paroxysmus ingruerat; Exploranti deinde sedulo pulsum arteria mollius micare videbatur, insultus rariores

(k) 1. VON HALLER, primae lineae Physiologiae. §. CLXVI. 2. Item CH. G. GRUNER M. D. Semiotice Physiologic. et Pathol. Compl. fol. 100. IX. ultimus denique §.

(l) Ista compositio optimum fere semper praestat effectum. SELLE MEDECINA CLINICA.

evadere, spatioque 4 horarum ipsimet circumstantes confirmare coeperunt, vim morbi nimium quantum remississe. Finis Paroxysmi erat semper suspirium altum, una cum voce — *o mein Gott!* — quo dein iterum ad se rediens, loqui coeperat, insigniter licet debilitata. Post quemlibet accessum pannis involvebatur calidis, frictiones instituebantur, jusculeum carniarum ad refocillandas vires porrigebatur; in intervallis porro potio Theae florum Chamomillae cum guttulis xv. Liquor. a. m. Hoffmanni. Mota sic leni transpiratione factum est, ut a 4to sub crepusculo usque ad auroram 7imi diei nonnisi 14. toleraret paroxysmos, quorum vehementissimus 20. minuta non superavit, cum per anteriores 4. dies, plusquam centum, horumque duos per duas horas incredibili omnium spectatorum attonitu perdurantes sustulisset. 7ma die habuit 4. paroxysmos. Horumce unum per semihoram persistentem; cum vero ipsius conjux, antea absens, accessisset, sensibilitati majori hocce adjudicandum fuisse, putavi, neque ab usu balneorum calidiorum deterritus eadem omni sollicitudine repetenda curavi. Cumque alvus a pulvere superiori haud satis bene moveretur, Electuarium Lenitivum Pharmacopoeae Edinburgensis (m) omni bihorio ad cochlearculi quantitatem sumendum propinavi. Alvo dein missus moto, etiam suppressa menstrua leviuscule fluere inceperunt, aegrotaque adeo assuescere balneis, ut ipsamet minitante insultu, in eadem quam citissime transportari expeteret. Nocte subsequenti septimam dirissimi morbi diem, quinque accessus per aliqua solum minuta; 8va die unicum levem post meridiem; 9na horis matutinis omnino nullum passa est. Revocatus deinde ad Balnea Leucensia muniarum meorum gratia, post bidduum summo cum gaudio mihi relatum est, aegrotam, eadem, qua profectus fueram, die, unicum, eundemque levissimum expertam adhuc fuisse paroxysmum, ex quo demum penitus convalescerat.

Exterior; si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti, si non, his utere mecum.

T H E S I S.

1. In Tetano balnea calida fere semper Opio sunt praeferenda.
2. Quamdiu systema BROWNII non sufficit omnibus quibuscunque Phaenomenis seu symptomatibus circa quoslibet morbos explicandis; tamdiu non est thesis, sed hypothesis *Mesmerismum* redolens.
3. Quamdiu circa morbos dubios experientiae, atque observationi non magis quam hucusque suffragatur, methodusque negligitur Hippocratica; tamdiu hypothesis — in opprobrium medicorum — ex arte non expurgatur.
4. Defectus sufficientis observationis atque experientiae in causa est, cur hucusque theoria una cum cura circa febres malignas (hodie nervosas) tantopere vacillet.
5. Febres intermittentes omnes unice a debilitate dependere, evidenter falsum esse contendo.

